



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Cap. XIII. Montjoius Yolandam à parentibus sibi desponsam, postulat. Vndè graves rixae. Recurrit ad Deum Yolanda, & matri invisà plurimùm patitur à domesticis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**

## CAPUT XIII.

*Montejoius Yolandam à parentibus sibi desponsam, postulat. Undè graves rixæ. Recurrit ad Deum Yolanda, & matri inuisa plurimum patitur à domesticis.*

**D**ictum à me suprâ ; Yolandam adolescenti nobili fuisse à parentibus citrà eius consensum promissam. Erat, is Montejoji Dominus, [quod est castrum Eisliæ, tribus à Lymburgo leucis. Tempora aliaque reputanti videtur mihi fuisse Walramus, Walrami I I. Limburgensis Ducis filius, cuius prosapiam exponit doctissimus Andreas Duchesnius. Is Walramus Montejoius cum multis Principibus subscribit scederi inito inter Conradum Hochstadanum Archi-Episcopum Coloniensem & Engelbertum Episcopum Osna-brugensem. Tabulas edidit Gelenius in actis D. Engelberti, conditas anno MCCXLVIII.] Parentes atque amici Montejoji, intellecto Yolandam dedisse se cœnobio, ea re offensi, misère nuntios cum litteris. Postulabat Montejoius suam sibi dari sponsam, & nî fieret, ingentes depolcebat opes atque pecunias. Henricus & Margarita, stipulantes iterato filiam se tradituros, nuntios dimisere cum responso, paratam esse Yolandam, ubi primum liberet eam adducere. His rebus

rebus sine Yolanda scitu ita gestis, convocato senatu, collectisque in consilium clientibus, Henricus, quid faciendum in re perplexâ, deliberat. Iussa etiam comparere in concilio Yolanda, adfuit. Leguntur Montejoij litteræ. Cumque rogassent Yolanda, quid haberet in animo, ita ipsa locuta est. Ab omni prorsus viro me liberam solutamque esse volo, unico dempto, quem elegi, cuique, quam iuravi fidem, antequam fallam, mortem oppetere certum est. Excepta tanti animi oratio omnium silentio. At Margarita intelligens in se maximè recidere controversiæ pondus, ad Yolanda conversa: Hunc ergò ex te gaudij fructum percipimus? Quis sponsalia tua dissolvat? Quis solutione nos explicabat pactæ pecuniæ, nî te sponso tuo tradamus? Contrà intrepide Yolanda: Si quis quidquam pro me sine me spondit, is sine me profectò solvat. Promissa mea, egò pro virili præstitero. Tum mater insultantis specie: Fateris ergo in te situm, ne tradâre viro, cui te pater despondit? Quid? Ergò tu ut animo tuo indulgeas, nos amicos nostros fallere, nos pecuniam vis prodigere? Ergò pro libitu nutuque tuo sola rem geres? Tu imperabis nobis, obsequemur nos tibi? Audi, elige duorum alterum; aut sponsum tuum sequere: aut D. Thomæ Sanctimonialibus, aut Salsinien-sibus, quibus Hymana cognata tua te destinat, adiungere; nisi mavis (nam & hoc tibi datur) cœnobium alibi inire aliud, dum id Ordinis sit

D. Be.

D. Benedicti, aut D. Bernardi, nobis volentibus planè, quin & opitulantibus, feceris; & sin ultrò feceris, facies adacta; aut solve promissam sponso pecuniam, teque libera; aut, profecto, ei cœnobio te trade, quod possit eximere tuo te debito. Hoc interim scito; monasterium, quod ipsa tibi præstitisti, ingredièrè nunquam. Habes quod eligas. Quod hic eligam, inquit Yolanda, nihil est. Cui iucundum sua perdere, spondeat is equidem pro me quantum libet. Exsolvam promissa egomet mea. Id haud paulo sanè æquius, quam cœnobium meum teneri promissis neque suis neque meis. Tam libera constansque filia oratio, eripuit matri patientiam. Iurat identidem, obtemperandum sibi à filiâ, quidquid contrà pugnet. Unum in cubiculum, inquit, te tuumque sponsum concludam. Tu vide, quid sola cum viro inceptes. Ad hæc modestè Yolanda: Sub ius tuum atque potestatem me Deus subiunxit, id equidem confiteor. Cædere, tundere, quin & viro solam addere me potes. At si tùm adsit idem ille Deus, meque iuuet, etsi centum me viris iunctam totidem feris conclusam munias atque custodias, integra tamen atque immaculata ut evadam, perfacile est. Quarè talem egò virum, quocum me terretes, parum, profectò, reformido. Fremere ad hæc mater & penè furere. Iacere etiam verba obscœna & indigna matronali pudicitia. Yolanda oclusis repentè auribus: Hei, cessa, inquit, mater,

ter,

ter, cessa, & ipsum adeò desine contaminare aërem. Ubi pudor? Tam foedas tibi excidisse voces? Scilicet cum verecundiâ mentem tibi quoque ira eripuit. His magis incensa mater, sine modo grassari. Magnâ ardens irâ in filiam involat. Sed illa modico recessu venientis impetum declinat. Pergere interim in intemperijs mater, bacchari, vociferari, iubere rapi filiam, & in profundum detrudi carcerem. At Yolanda, haud quaquam his territa; In tuâ sum manu, inquit: De me, ut libet, constitue. Conjice in vincula, detrude in carcerem, ipsumque adeo mecum include carcerarium; haud contrâ restitem, dum pro me, quod spero facturum, stet bonus Deus, idem patiendi mihi auctor & merces. Ita inter matrem & filiam protractum certamen à meridie usque ad vesperum, donec Henricus, cui molestissimum erat has videre rixas, obiurgantem iussit conticescere conjugem.

Adstabat inter alios ex equestri ordine magni animi vir. Is non ferens imperari in eâ causâ Margaritæ silentium, cœpit contentâ elataque voce in Yolandam peracerbè invehi. Cui Yolanda: Domine, si quid meâ de causâ te malè habet, id ipse tecum tacitus digere. Quod cum parentibus meis agam, id etiam nimiùm est negotij. Tu ne quidquam addideris. Ille è vestigiò contrâ clamare: Non loquar ego, cum tu stultiâ tuâ omnia corrumpis? Quanquam non meam unius vocem audis. Hic omnis nobilissimus ordo,

do, ipsa adeò patria, quam tu muliebri religione tuâ deturpas, ore meo te incessit. Nam parentes tui, ipsi per se, profectò, satis intelligunt, quantum iniustum eas generi suo infamiæ notam. Hic Yolanda plena animi. Haud vera loqueris. Imò dum Numen divinum colam atque venerabor, crescet, profectò, à me, uti confido parentum meorum honor, augebuntur opes. Sed facisce tu, rerumque tuarum satage, & file, & molestus esse desine; nihil tecum mihi negotij. Henricus inter hæc, vir animo miti, & filia supra quam dici potest amans, confederat manantibus ubertim lacrymis. At Margarita, irâ, indignatione, & dolore ardens, erumpit in voces, clamore insultans filia. Siccine? Mecum esse renuis? Ergò pone vestem, quâ indueris; mea est. Et si Sanctimonialem tibi esse libet, hinc emigra. Sub uno tecto mecum sanctimonialis esse haud equidem poteris. Non hæc domus mea cœnobium est. Cui Yolanda. Da ergò operam, ut cœnobio me committas, quando adeò tibi molestum me Sanctimonialem coram cernere. Quanquam non domo, neque finibus ullis mea circumscribitur conditio. Quocumque concessero, me mecum fero. Adsum tibi, vel absim, Sanctimonialis sum. Efferata magis his Margarita, evocat binas ex familiâ nobiles puellas. Harum custodiæ Yolandam committit, imperans, ne usquam solam esse patiantur. Si secus faciant, capite luituras. Perhorrescere puellæ, & severam nimis reformidare custo-

custodiam. Quibus Yolanda : At vos , ne , quæ-  
so , expavescite. Me quidem tutò & absque sol-  
licitudine servabitis ; haud fugiam. Tum mater :  
Quid ? Non fugies ? Enimverò , quæ me iustiti-  
am toties ? Et tu matrem ausa fallere , hisce puell-  
ulis , servabis fidem ? Cumque inter hæc puellæ  
aversarentur adhuc tam arduam Yolanda custodi-  
endæ provinciam , Margarita penè acta in ra-  
biem , & ad Henricum conversa : Ergò tu , in-  
quit , vide sis filiam tuam uti custodias. Ego tu-  
telam ab dico eius , quam neque meam posthac  
esse volo , neque in liberis meis deputo. Hæc fre-  
mentem tanta inaccessit doloris acerbitas , ut effu-  
sus ingens lacrymarum imber , omnes quotquot  
aderant , pariter provocarit ad fletum. Ita inter  
miserabilem complorationem atque lacrymas dis-  
cessum. Clientes , quos ad concilium Henricus  
evocaverat , re infectâ rediére domum.

Yolanda tantis excita iurgiis atque rixis , ad-  
modum afflictâ licet , constanti tamen firmeque  
animo in conclave suum se recepit ; ubi modicum  
altare , coram quo preces funderet , sibi compa-  
raverat. Ibi procidens in genua , ita Deum preca-  
ta est. Mitissime pater , qui nos condidisti tuas  
imagines , nostrorumque vulnerum medelam fe-  
cisti filij tui vulnera , huc ad me verte oculos.  
Vide tot angustiis atque anxietatibus constri-  
ctum animum. Per filij tui sanguinem te obte-  
stor , affer opem , sollicitudines curasque leni , &  
quidquid est , quod à te me posset avertere , id à  
F  
me

me tu prior averte. Et quando me totam tuo Numini Majestatiq̄ue devovi, serva quod tuum est. Pugnanti mihi, non pro me, sed pro dignitate gloriâq̄ue tuâ, adde robur. Has inter preces iugibus manabat plurimisq̄ue lacrymis, ceu per oculos effuso cum fletu dolore grave pectus exoneraret; donec non ex ploratu magis, quam ex certando iurgandoq̄ue lassâ, iacens antè arulam, placidè obdormivit. Somno deinde soluta, tantum sensit animi solatium, ut tolerantium antè malorum penè immemor, totam in Deo spem poneret. Iniecta etiam tacita spes, fore, ut brevi finem mala hæc acciperent. Nec vana spes ea fuit. Siquidem haud multo post Montejoius aliam nactus sponsam, Yolandæ sponsalia ultrò dissolvit. [Fuit autem Montejoij illa sponsa Elisabetha, filia Ermesindis Comitissæ Luciliburgensis, ex priore marito Thebaldo Barri Duce, de quâ Andreas Duchesnius.]

Yolanda porrò hâc depulsâ sollicitudine, studium sanctioris atq̄ue innocentis vitæ intendit. Procul habere, quidquid splendidum, atq̄ue magnificentum. In aulicis parentum congressibus, comparere ancillari penè habitu. Non veste pretiosâ velare corpus, non tenijs, non sertis exornare caput. Si procedendum in publicum, si ad-eunda sacra ædes, toga erat simplex, nec multicolor. Nec ex moribus tantùm atque vitâ, sed ex ipsa adeo memoriâ altum & regale genus exciderat. Nulla iam parentum atque amicorum

cura.



cura. Unus erat amor, Sanctimonialem esse egenam atque pauperem. De reliquo, quam ipsa rebus caducis, tam ipsi res caducæ perierant.

Hæc Yolandæ vitæ ratio matri tantum irarum concivit, ut eam non modo non animo, sed ne quidem ferre posset oculis. Itaque ab eâ se seiungere, nec pro filia habere. Matris exemplo animati familiares, Yolandam despiciatui habere, non verbis amicis alloqui, non congregari, imò ne aspicere quidem. Tantumque fuit licentiæ, ut irridere auderent ministri. Prout quisque Margaritæ gratiam ambiebat, perindè Yolandam oburgabat, conspirantibus etiam in id famulorum infimis. Nec à vexando retinebat mulieres innata sexui modestia. Undique certatim probra quisque ingerebat, Yolanda interim ferente omnia placidè, ut miraculo esset patientissimæ virginis constantia. Nimirum contrà omnia adversa obfirmaverat devotum Deo animum.

## CAPUT XIV.

*Yolanda levi de causâ gravissimam matris iram incurrit. Hæc illam sub arctissimâ custodiâ Bellacostæ relinquit, & Vienneam redit; undè indefinenter alios atq; alios submittit, qui eam tentent.*

**C**Um verò in infinitum penè procederet illud cum Yolanda certamen, cœpit aliquando